AUTHOR:

ALGERMISSEN, ALOIS

TITLE:

QUAESTIONES OVIDIANAE CRITICAE

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1879

Master Negative #

92-80714-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

870E
Al3

Algermissen, Alois, 1853-
Quaestiones Ovidianae criticae; dissertatio inauguralis quam... in publico defendet Aloysius Algermissen... Monasterii, ex typographia Iosephi Krick, 1879.
vii, 27 p. 22 cm.



Thesis, Münster, 1879.

5828

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 2461
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/17/92
INITIALS CR
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



QUAESTIONES OVIDIANAE CRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM MONASTERIENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE CONSENSUQUE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV MENSIS MAII A. MDCCCLXXIX

IN PUBLICO DEFENDET

ALOYSIUS ALGERMISSEN
HANNOVERANUS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.
MDCCCLXXIX.

IOSEPHO· BELKE·

AMICO·

SACRUM·

Quamquam praeclara multa omnique laude cumulata cum pristino tempore tum nostra memoria de Ovidii carminibus disputata sunt, tamen non pauca restant, quibus accurate pervestigandis haud exiguos fructus percipiamus. Elucet enim, quo maiore iucunditate carmina poetae et venustate elegantissimi et perspicuitate suavissimi animos hominum, qui talium tenebantur artium amore, permulcebant, eo magis interdum singulorum virorum opiniones pro verbis poetae venditatas esse. Qua re cum in omnibus libris manu scriptis, qui numero permulti sunt, interpolationes latissime propagatae essent, nec invenirentur, qui sincera servarent poetae verba, nostro demum saeculo Rudolphus Merkelius, vir de emendandis explicandisque poetae verbis post egregiam Nicolai Heinsii operam omnium optime meritus libris admodum prospera cura collatis examinatis firma ut ita dicam rei criticae posuit fundamenta. Atque in eis quidem, quae Merkelius de librorum cognatione pretioque docuit, etiam hodie in universum acquiescendum est; nisi quod Alexandro Riesio assentiendum puto, qui codicem Metamorphoseon Laurentianum ‚L' non ab eodem antiquiore exemplo descriptum esse contendit, unde codex Marcianus ‚M' originem duxit, id quod Merkelius statuerat, sed aliquot gradibus ab illo codice, communi librorum M et L origine, distare. Neque facere possum, quin hoc vel

amplificandum crediderim: mihi enim ex continua singulorum librorum, quoad scripturae eorum editionibus Metamorphoseon continentur, collatione id satis dilucide effici videbatur, codicem L non modo non uno cum codice M ordine habendum esse, immo pretio propius accedere ad reliquos libros ‚ς', quam ad librum M. Quos libros ς singulos, quamquam omnes pretio superat et aliquo post se intervallo relinquit, tamen, ubi liber M deficit, vel ubi, quid exhibeat, erasis vel evanidis litteris incertum est, in libro L solo res critica vix usquam niti debet, sed acriter pervestigandum est, maiorne reliquorum codicum pars aptiorem suppeditet scripturam. Nam ut iam Merkelius dixit, liber L ab homine videtur esse confectus, cuius multo magis interfuit, ut videretur reddidisse, quod poeta scripsit, quam ut vere redderet, quique ideo a nullo interpolationis genere abhorrebat. Ex altera parte scripturae librorum ς permultae nullam relinquunt dubitationem, quin emanaverint ex libro quodam et vetustate et fide satis excellenti. Qua de re etiam hinc spreta nonnunquam libri L scriptura vera lectio elicienda est atque saepius quidem, quam adhuc factum est. — De Fastorum codicibus accuratissime disseruit H. Peter (Programm Meissen 1877.) — Animadvertere mihi visus eram, nostrae aetatis editores Nicolai Heinsii cum plerumque ingeniosas tum haud raro praeproperas coniecturas nondum omnibus locis, ubi sine iusta causa scripturae optimorum librorum praelatae erant, eiecisse. E contrario autem eosdem viros doctos reducendarum optimi cuiusque libri lectionum studio ductos ex illis praestantissimis libris, quippe qui et ipsi ab interpolationibus minime alieni, hic illic falsa

recepisse. Quod quotiescunque ex usu poetae colligi posse existimabam, ad scripturas librorum ς perquirendas conversus inde genuinam lectionem depromere conatus sum.

Ceterum cum iam prope absolvissem hanc commentationem, in lucem prodiit nova Rudolphi Merkelii horum carminum editio, in qua de numero versuum, quos mutandos proposueram, alios ita correctos inveni, ut mihi ipsi verum erat visum, alios uncis inclusos (Met. II, 701; V, 216; VI, 611; XI, 697; XIV, 735; — VI, 294; VII, 8; XV, 503.), de quibus disputare supersedeo.

Iam vero ad quaestiones criticas ipsas accedamus.

Index locorum, quos retractavi.

Met. I. 403—406.

‚Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis
contigit, ut quaedam, sic non manifesta, videri
forma potest hominis, sed uti de marmore coepto,
non exacta satis rudibusque simillima signis.'

M. ‚cept..' m. ‚coepta', quod etiam L. ς. habent, unus ‚coepto', quod qua de re Heinsius praestare arbitratus sit, nescio nec intellego. Nam ipse non exposuit, nec in Ovidii scriptis de marmore vel lapidibus coeptis usquam sermo est. Verum videas v. 425 sqq.: ‚Plurima cultores versis animalia glebis Inveniunt et in his quaedam modo coepta . . .' et quae sequuntur. Merkelius nunc habet: „sed uti est de marmore coeptis", quam coniecturam ut commendet, haec verba facit: „‚est' sine libris inserui eo loco, quo est in versu XIII, 135. poterat abesse hoc loco, si ut in illo vel III, 178, XV, 170, nudum praedicatum esset: sed iunctum est dativo possessivo ‚signis'; ab adiectivo ‚simillima' non hic, sed ‚rudibus' pendet. Quam ob rem rasuram in M. ‚cept . .' non supplevi scriptura aliorum librorum, quam manus secunda in illum intulit, eraso scilicet, quod leviori opera corrigi non potest." Equidem verbum ‚est' minime desidero, si legimus ad fidem m. L. ς.: „ut quaedam sic non manifesta videri forma potest hominis, sed uti de „marmore coepta, non exacta satis rudibusque simillima signis." Hanc igitur habemus structuram: Ut quaedam hominis forma videri potest sic (-tamen) non manifesta, sed uti de marmore coepta, non satis exacta rudibusque signis simillima.

Mihi haec structura, in qua, quid iure reprehendatur, non video, cum perspicua simplicitate tum librorum fide haud spernenda praestantior videtur, quam quae Merkelio placet.

Met. II, 178—180.

,Ut vero summo despexit ab aethere terras
infelix Phaeton penitus penitusque iacentes,
palluit et subito genua intremuere timore.'

M. ,patentes', L. ,iacentes', ς. partim ,patentes' partim ,iacentes'. ,Patentes' propter librorum auctoritatem, sententiam, poetae usum praeferendum est. cf. VI, 218: ,planus erat lateque patens prope moenia campus'. III, 112 sq.: ,cetera paullatim placidoque educta tenore tota patent'. Fast. III, 589: ,inque patens aequor frustra pugnante magistro fertur'. E contrario verbum iacendi in his carminibus neque cum adverbiis, veluti ,late', ,paullatim', ,penitus' coniungitur, neque loco, de quo agimus, tam apte dicitur, quam verbum patendi. Etenim non eadem est rerum condicio Met. I, 338: ,litora voce replet sub utroque iacentia Phoebo" ubi ,iacere' fere idem est, quod simplex ,esse', Denique mea quidem sententia lectio: ,ut vero summo desqexit ab aethere terras infelix Phaeton penitus penitusque patentes, palluit.' multo elegantior et multo magis poetica est, quam lectio ,— iacentes', quae, cum verbum exhibeat satis tritum, interpolationis suspicionem magis movet, quam ea, quam defendimus.

Met. II, 376.

,Penna latus vestit, tenet os sine acumine rostrum.'

M. L. ,velat', ς. partim ,velat' partim ,vestit'. ,Velat' restituendum esse, inde apparet, quod Ovidio apud verba ,pennae' ,plumae' similia consuetum est. Cf. IV, 45: ,squamis velantibus artus.'; VII, 468: ,nigris velata monedula pennis.'; VIII, 253: ,illum in medio velavit aëre pennis.'; X, 699: ,fulvae iubae colla velant.'; XIV, 97: ,tota velatos corpora villo.'; XV, 357: ,qui soleant levibus velari corpora plumis.'

Contra ea verbum vestiendi in describenda re simili nusquam reperitur.

Met. II. 819.

,Caelatasque fores virga patefecit.'

M. ,caelesti', L. ,caelatas', ς. partim ,caelesti' partim caelatas' ,Caelesti' genuinum videtur; bene enim intellegitur, deum caelesti virga hominum superbiam frangere. Ceterum virga deorum solet cum epitheto iungi. Cf. I, 716: ,virga medicata', I, 671: ,virga somnifera', XIV, 413 ,virga venenata', Fast. V, 447: ,virga potens'; aliis locis alia habes epitheta.

De vocabulo autem ,caelestis' simili modo adhibito videas Met. IV, 252: ,caelesti nectare imbutum corpus' (a Phoebo). Ex Ponto IV, 11, 3: ,vulnera caelesti cuspide facta'; Her. XV, 173: ,caelestis sagitta'. ,Caelatas' perfacile ex huius libri versu, 5 sq. aut VIII, 702 nasci potuit, quibus locis aptius videtur. Accedit, quod sententia ita comparata est, ut potius virgae dei, quam istius ianuae descriptionem expectemus.

Met. III, 640—643.

,Dextera Naxos erat: dextra mihi lintea danti
,quid facis, o demens? quis te furor —?' inquit Opheltes,
pro se quisque ,tenet? laevam pete!' maxima nutu
pars mihi significat, pars, quid velit, ore susurrat'.

M. nonnullique alii habent: ,pro se quisque timet', L. et multi alii: per se quisque timet', duo ,— tenet'. Merkelius olim scripsit: ,quis te furor' inquit, ,Acoete', pro se quisque ,tenet? laevam pete!'; nunc scribit: ,quis te furor —?' inquit Opheltes, versum 642 autem tamquam spurium uncis includit. Ad sententiam suam comprobandam dicit: „olim inquit ,Acoete' dederam, quod sub rasura M. latere visum. est id satis veri simile; sed tamen ,ofeltes', quod nunc habet, est a manu prima, ac putaverim in archetypo antiquitus fuisse supra adscripto ,acoete' et adiecto aliqui versu proximo spurio, quo pro subiecto enunciati ,quisque' inducitur; ,tenet' ad supplendam aposiopesin scriptum fuisse videtur, habent tamen ,timet' M. L. E. atque ea causa fuit, cur scriptum ,acoete' in M. deleretur, cuius scribam intellectui prospicere videas VII, 756. X, 653, 697. XII, 70. interpolator ,nutu' addidit, quia ignorabat, ,significare' id ipsum esse, nutu et signis loqui, ut lexica; docent; ,maxima' et ipsum

imperitam manum prodit nec post ‚laevam pete‘ omnium locum habet.“ — Cui equidem non assentior. ‚Tenet‘ in duobus codicibus corrupte pro ‚timet‘ scriptum esse, non inauditum est. Neque ceterae causae, quas affert Merkelius, stare possunt.

Nam in locutione ‚nutu significat‘ minime abundat vox ‚nutu‘, qua modus significandi exprimitur aeque atque verbis ‚per gestum‘. Trist. V, 10, 36: ‚per gestum res est significanda mihi‘ Caes. b. civ. I. 86: ‚voce et manibus significare.‘ Denique verba ‚pars maxima‘ suspicione vacant, si legimus ‚pro se quisque timet‘. Quod ‚pro‘ in omnibus fere praeter M. codicibus in ‚per‘ mutatum est, aliquam movet suspicionem. Sed permultis locis in codice M. solo vera lectio servata est et commutatio praepositionum ‚pro‘ et ‚per‘ crebro invenitur.

De locutione ‚timere pro aliquo‘ vide IX, 241: ‚timuere dei pro vindice terrae.‘ Restat ut versum 642 universum bonae sententiae esse comprobem. Negari non potest, cum salva sententia deesse posse. Sed ea de re apte additus est, quia verbis ‚pro se quisque timet! laevam pete!, suspicionem praeveniebat poeta, quae oriri debuit in animo dei, cum incertae sententiae verba, quid facis o demens? quis te furor? . . .‘ audiret vultusque omnium nautarum nutantes minantes in Acoeten videret conversos. Verbis igitur ‚pro se quisque timet‘ simulat Opheltes, ea de re omnes nautas nutu signa dare, quod, si Acoetes pergeret, gubernaculum in dexteram partem dirigere, pro itinere saluteque timerent.

Met. IV, 537—538.

‚Si tamen in dio quondam concreta profundo
spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illa.‘

M. ‚in dio‘ L. m. ς. ‚in medio‘. Scripturam ‚in dio‘, quae mihi mutila videtur, Heinsius elegantiae causa recepit praesertim quia apud Varronem legitur ‚dium mare‘, illud Homericum, et apud Lucretium similia. Heinsius etiam Fast. II, 598 pro ‚Ilia diva‘ maluit ‚Ilia dia‘ contra librorum fidem. Nos, quid Ovidius scripserit, ex solius Ovidii dicendi usu concludimus, certe quidem hoc loco. Qui nusquam alibi utitur voce ‚dius‘; e contrario vocem ‚medius‘ iungere solet cum vocabulis ‚pon-

tus, fluctus, aqua, aequor, unda, mare‘ similibus. Quae cum ita sint, ad fidem librorum fere omnium ‚medio‘ restitutum velim.

Met. V, 198—199.

‚Incursurus erat: tenuit vestigia tellus,
immotusque silex armataque mansit imago.‘

M. L. et ς. exceptis tribus ‚silet‘; tres ‚silex‘. Verba ‚immotusque silet armataque mansit imago‘ de Eryce dicuntur, qui modo procacibus verbis superbiens adverso capite Gorgoneo obmutuit siletque. ‚Silet‘ igitur restituendum est. Cf. VII, 187: ‚immotaeque silent frondes.‘

Met. VI, 627—630.

‚Mota quidem est genetrix infractaque constitit ira,
invitique oculi lacrimis maduere coactis.
Sed simul ex nimia mentem pietate labare
sensit, ab hoc iterum est ad vultus versa sororis.‘

M. L. ‚mortem‘, ς. partim ‚mortem‘ partim ‚matrem‘, partim ‚mentem‘. ‚Mortem‘ corruptum videtur aut ex ‚mentem‘ aut ex ‚matrem‘. Equidem ‚matrem‘ genuinum puto, quia notio matris effertur et premitur, quod ex eius repetitione elucet in versibus 633 et 640. Conferas exempla iam ab Heinsio ad defendendam scripturam ‚matrem‘ laudata, ex quibus haec Ovidii sunt: VIII, 463: ‚pugnant materque sororque‘; XII, 30 ‚postquam — rex patrem vicit‘. Accedit ad commendandam hanc lectionem, quod ‚matrem‘ certe elegantius est, quam tritum illud ‚mentem‘, quod scripturae ‚mortem‘ quae nihili est, corrigendae facilius adscribi potuit, quam ‚matrem‘. Ceterum iam Burmannum eis, quae laudavi aliisque ex aliis scriptoribus petitis exemplis scripturam ‚matrem‘ commendavisse video.

Met. VI, 695—696.

‚Ut medius nostris concursibus insonet aether,
exiliantque cavis elisi nubibus ignes.‘

M. ‚insonet‘, L. ‚intonet‘, ς. partim ‚intonet‘, partim ‚insonet‘; Burmannus ‚intonet‘. Unice vera est scriptura ‚intonet‘, quod iam Heinsius vidit. De naturali et principali tonandi

notione Ovidius verba tonandi et intonandi solet usurpare, nunquam sonandi et insonandi. In poetica autem tonitrus descriptione vel potius eius originis explicatione verbum intonandi suo loco esse, non insonandi, cuivis patet. Conferas XV, 69. sq: ‚quae fulminis esset origo, Iupiter an venti discussa nube tonarent.'

Met. VII, 18—21.

‚Si possem, sanior essem.
sed gravat invitam nova vis aliudque cupido,
mens aliud suadet. video meliora proboque:
deteriora sequor.'

M. tresque alii ‚gravat'; L. et ceteri ‚trahit', Burmannus ‚trahit'. Facere non possum, quin scripturam ‚trahit' scripturae ‚gravat' praeferendam existimem, gravandi significatio enim hoc loco aliena est, trahendi aptissima: Hoc aeque evincitur notione vocis ‚vis', atque verbis, quae sequuntur ‚deteriora sequor'. Conferas de trahendi notione exempla: VIII, 464: ‚duo nomina pectus trahunt.' Am. III, 10.28: ‚hinc pudor, ex illa parte trahebat amor'. Verum de usu verbi gravandi videas Met. IV, 145: ‚oculi morte gravati', V, 658: ‚gravatus somno', VIII, 205: ‚unda gravat pennas', XIII, 812: ‚poma gravantia ramos', Trist. V, 11. 30: ‚fortunam meam gravare parce'. Trist. IV, 8. 32: ‚fata gravant tempora posteriora'.

Met. VII, 259—260.

‚Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
tinguit et intinctas geminis accendit in aris.'

M. L. ς. ‚infectas', nonnulli ‚intinctas'. Heinsius, ut ederet ‚intinctas', poetae usu commotus est, qui saepe idem verbum in eadem sententia variata constructione repetit. Sed verbum inficiendi Ovidio in tali re consuetum est ideoque reducendum. Quod quamquam nunc a Merkelio receptum video, tamen pauca verba exemplaque, quibus eam scripturam bene commendari existimavi, non omittenda videntur. Conferas XV, 135: ‚percussaque sanguine cultros inficit'; XI, 396: ‚longos infectum sanguine villos'. Accedit, quod, quomodo nata sit scriptura paucorum librorum ‚intinctas', facile intellegitur, nimirum ex praecedenti

verbo ‚tinguit'; id quod non dici potest de scriptura ‚infectas', quam tuentur libri optimi.

Met. VII, 469—471.

‚At non Oliaros Didymaeque et Tenos et Andros
et Gyaros nitidaeque ferax Peparethos olivae
Gnosiacas iuvere rates.'

M. L. ‚at non', ς. partim ‚at nec' vel ‚at non', partim ‚nec non'. Si scribimus ‚at non' vel ‚at nec', non intellegitur, quare inter enumerandas eas civitates, quae Minoi regi promiserant, se bello ei adfuturas esse, aliquot civitates enumerentur, quae ei auxilium non tulerunt. Quod vel magis mirum est, cum nominibus earum civitatum, quae auxilium negaverunt, dictis, nulla causa afferatur, qua ad negandum auxilium inductae sint. Aliquot versibus post, cum poeta commemoret, Aeginetas auxilium negasse, causas, quibus commoti sint, explicitis verbis enarrat, id quod in tali rerum condicione cum historici est tum poetae, praesertim autem Ovidii, quem a sterili narrationis ieiunitate maxime abhorrere, cuivis notum est. De particula ‚nec non' simili modo adhibita videas I, 613; II. 615.

Met. VII, 530—531.

‚Dumque quater iunctis explevit cornibus orbem
luna, quater plenum tenuata retexuit orbem.'

M. L. ‚plenis', ς. partim plenis, partim ‚iunctis', quod ex duobus tantum codicibus recepit Gronovius. II, 344 eadem fere verba leguntur: ‚luna quater iunctis explerat cornibus orbem'. Quamquam ut Gronovio, ita mihi quoque scriptura ‚iunctis' elegantior videtur, tamen, ut defendam ‚plenis' cum Ovidii peculiari repetitionis more, tum interpolationis suspicione commoveor, qua lectio ‚iunctis' haud facile liberabitur. Notissimum enim est plurimisque exemplis probari potest fusum illud poetae dicendi genus, quo mea quidem sententia vetamur, mutare verba: ‚dumque quater plenis explerat cornibus orbem'; Cf. I, 11: ‚nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe'; VII, 179: tresque aberant noctes, ut cornua tota coirent' efficerentque orbem'.

Met. VIII. 499—500.

,Mens ubi materna est? ubi sunt pia iura parentum
et quos sustinui bis mensum quinque labores?'

M. L. nonnullique alii ,pia iura'; M. manus prima in margine et plerique ς. ,pia vota'. Heinsius in medium profert Met. X, 321: ,di precor et pietas sacrataque iura parentum, hoc prohibete nefas!' V, 353: pius ille memorque iuris;' Rem. am. 495. ,imperii iura.' Addere licet Her. VI, 41: ,conubialia iura', Met. XV, 596: ,famularia iura'. Sed his exemplis veri non similius redditur, loco, de quo agimus, legendum esse ,pia iura', quam locutionem neque Ovidius habet et ego miram esse puto et obsuram. ,Pia iura' explicare conabar leges, quas Ovidius quodam loco ,natas non factas' appellat, id est ,leges naturae et pietatis'. Sed quantum Ovidii genus dicendi novi inque usum notionum legis, iuris similium apud eum inquisivi, non videtur dicere potuisse ,pia iura' pro legibus naturae vel pietatis. E contrario scriptura ,pia vota' admodum commendatur. Etenim mater dicens ,mens ubi materna est, ubi sunt pia vota parentum et quos sustinui bis mensum quinque labores?' reminiscitur, se saepe preces dis obtulisse, ut filio longam donarent vitam, easque preces ,pia vota' apellat. Simili modo iam Burmannus suo iure scripturam ,pia vota' defendit. De usu locutionis ,pia vota' conferas Am. II, 6 43: ,quid referam timidae pro te pia vota puellae?'; Rem. 813: ,postmodo reddetis sacro pia vota poetae'; Fast. I, 722: ,ad pia propensos vota rogate deos!'; Met. I, 221: ,irridet primo pia vota Lycaon'.

Met. VIII, 573—576.

,Tum maximus heros,
aequora prospiciens oculis subiecta ,quis' inquit
,ille locus?' digitoque ostendit et ,insula nomen
quod gerit illa, doce: quamquam non una videtur.'

M. L. ς. ,gerit'; nonnulli ,gerat'. Merkelius in priore editione scripsit ,gerat', nunc scribit ,et insula nomen quod gerit illa, doce: quamquam non una videtur'; videtur igitur verba ,insula nomen quod gerit illa' tamquam interrogationem indirectam interpretari in qua modus indicativus admissus sit. Peculiaris indicativi in interrogationibus usus exempla apud Ovidium extant haec. Met. X, 637: quid facit ignorans, amat et non sentit amorem. Ad hunc locum Merkelius adnotat: „manifestus quantum puto, barbarismus et sine exemplo, graeca structura non ultra id genus, quod est supra v. 393 ,ut sibi committat, quicquid dolet' usi videntur poetae, sed in iterrogatione coniunctivos sit ,esset' reticent, itaque correxeram ,quid factum ignorans' qualia leguntur II, 859. III, 721. IV, 330. V, 520. 573. VII, 566. IX, 2. X, 552. 651. XI, 683. XIII, 497. XV, 68. sed tametsi in scripturae compendio una tantum littera differt, duriuscule id et ipsum visum. delevi in plagulis nec plane ad proscribendos versus 636. 637. adducebar." — Heinsius coniecit ,quidque agat'. Ceterum codices satis multi exhibent ,quod facit', quae lectio vera videtur. Pronomen ,quod' cum ,quid' etiam X, 372 commutatum est, ubi Heinsius ad fidem codicis Iuniani perperam edidit ,quod agat, non invenit' pro ,quid agat' meliorum librorum. Porro videas Her. X, 86: quis scit an haec saevas tigridas insula habet.' quo loco indicativo non valde offendimur, quia verba ,quis scit an' pro ,fortasse' dicta in formulam abierunt. — Idem dicendum est de Her. XII, 71, ubi codices P. ς. exhibent ,nescio an', alii ,noscis an' vel ,nostin' an'; omnes codices habent ,exciderunt' in eodem versu, quantum quidem scio. Ibi velim restituatur lectio codicis optimi P. (Parisini 8242 saeculi IX) ,nescio an'. Legendum igitur censeo: ,nescio an exciderunt mecum loca', non ,exciderint', quod Riesius proponit in adnotatione critica, nam indicativus defenditur loco laudato Her. X, 86. Accedit, quod lectio ,nescio an' sententiae loci magis respondet, quam interrogatio ,noscis an?' ,nostin' an?' vel ,scisne an?', quod Riesius scripsit. Ad vim verborum enim Medeae graviter laesae et exacerbatae minime accomodatum est, quaerere ex Iasone, sciatne, quomod ista loca se habeant, in quibus blandis promissis eam decepit. Eleganter autem dicit Medea, fortasse ea loca aeque atque se ipsam memoriae Iasonis excidisse. His igitur locis indicativus in interrogationibus admissus est. Eo autem loco, de quo tractando declinavimus res aliter comparata est. Verbis enim, quae leguntur ,quis', inquit, ,ille locus?' ,digitoque ostendit' et ,insula

nomen quod gerit illa? doce!' vera continetur interrogatio, non formalis tantum, ut ita dicam, velut istis locis laudatis: ‚quis scit an haec saevas tigridas insula habet.' et ‚nescio an exciderunt mecum loca'. Si quis igitur interrogationem ‚et insula nomen quod gerit illa' indirectam esse censet, debet rescribere, quod Merkelius in priore editione ex nonnullis codicibus edidit ‚gerat' modo coniunctivo. Quod quoniam optimis codicibus facere vetamur, interrogationem intellegimus directam, scribentes: ‚quis' inquit, ille locus?' digitoque ostendit, ‚et insula nomen quod gerit illa? doce!' — quod eo magis commendabile videtur, quia, qui quaerit, digito ostendit, id quod magis accommodatum est ad naturam interrogationis directae.

Met. VIII, 799—802.

‚Quaesitamque Famem lapidoso vidit in agro
unguibus et raras vellentem dentibus herbas.
hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
labra incana situ, scabrae rubigine fauces.'

M. L. ‚fauces', ς. partim ‚fauces' partim ‚dentes'. Heinsius adnotat „De dentibus iam praecesserat, quare assentior plerisque antiquis, in quibus ‚scabrae fauces', nisi quod in uno Langermanni ‚scabrae malae'. Libro tamen II, 776 de Invidia: ‚livent rubigine dentes, pectora felle virent' et rubiginosos dentes dixit Mart. lib. V, Epigr. XXVIIII, et apud eundem praefatione lib. XII: ‚municipalium rubigo dentium. Petronio quoque cap. CXXIIII: ‚scabri rubigine dentes'. Habes et scabros dentes apud Suet. Aug. LXVIIII et Marcianum Capellam lib. III initio ‚scabros dentes vitiliginesque linguarum et sordes', ex quibus vulgatam lectionem in hoc Nasonis loco tuebatur noster Graevius." De illis verbis ‚de dentibus eam praecesserat' vide, quid exponat contra Gierigius: „— Nondum enim poeta Famem describit, sed eius agrum raras herbas habentem. Et quo iure Fami raros dentes tribuisset? Dentes enim illa non excutit." De dentibus igitur iam locutus erat poeta, sed non ut dentes, sed ut consuetudinem vivendi Famis in universum describeret. Verba Heinsii igitur ad reiciendam scripturam ‚dentes' non valent. E contrario ‚fauces' mihi valde suspectum videtur. Non enim verisimile est, hoc loco, quo exterior tantum habitus

Famis describitur, ea autem, quae non sub oculos subiecta sunt, omittuntur, fauces depingi. Atque rubigo, nostrum ‚Rost', (cf. ex Ponto I, 1.71: ‚roditur ut scabra positum robigine ferrum) vel de dentibus ‚das Stocken' fauces non arrodit neque esse potest, nisi in dura materia. Cf. praeter locum ab Heinsio laudatum Art. I, 515: ‚careant rubigine dentes'.

Met. X, 306—310.

‚Gratulor huic terrae, quod abest regionibus illis,
quae tantum genuere nefas. sit dives amomo,
cinnamaque costumque suum sudataque ligno
tura ferat floresque alios Panchaïa tellus,
dum ferat et murram: tanti nova non fuit arbor.'

M. L. ς. ‚floresque alios' quattuor ‚flores varios'. Riesius adnotat, ‚alios' corruptum esse, id quod sententia quoque confirmatur. Nam poeta post laudatos Arabiae odores latine non potest pergere ‚tura ferat floresque alios Panchaïa tellus', nimirum quoniam flores non sunt odores. Graeci quidem voce ἄλλος ita uti potuerunt, non Latini voce alius. Neque ad defendendum hunc usum satis valet, quod quidam editores olim adnotaverunt interpretantes ‚et alioquin flores', quia is vocis ‚alius' usus nullo exemplo, certe apud Ovidium nullo, comprobatur. Neque stare potest alia interpretatio ‚flores, herbas, frutices', quoniam odores Arabiae praedicantur. Omnes igitur, qui interpretari conati sunt et ipsi, ni follor, bene senserunt, illud ‚floresque alios' durissimum esse. Scribere ‚aliquos' in quod ‚alios' saepius corruptum est, hoc loco ineptum videtur. Ausim igitur proponere coniecturam ‚floresque aloes'. Flos aloes enim et antiquis et nostris temporibus celeberrimorum florum in numero est habitus atque non solum ob amaritudinem suci, quae antiquis saepe laudata est (‚plus aloes, quam mellis habet' Iuv.) neque solum ob utilitatem, qua aloe arabica, aloe soccotrina (de Soccotora, insula Arabica), aloe lucida, aliae species excellunt, verum etiam propter eximiam rubrorum florum pulchritudinem, quae omnibus temporibus admirationi fuit. Quae cum ita sint, Ovidius inter alia quae Arabiae domestica decorique erant, apte aloen nominabat, praesertim cum haec terra excelleret non solum odoribus sed etiam floribus.

Sed tamen veri etiam similior, quam haec mihi alia videtur coniectura, dico ‚roresque alios'. Videas epistulam quae ab Ovidio scripta esse negatur Sapphus ad Phaonem, versum 76: ‚non Arabum noster rore capillus olet'. ‚Arabo rore pro myrrha positum est, ut quidem communiter exponunt' (Micyllus). Unguenta odoresve etiam Tibullus rorem appellat. Cf. III, 4.28:, ros Syrius'.

Met. XI, 56—60.

56: ‚Hic ferus expositum peregrinis anguis harenis
57: os petit et sparsos stillanti rore capillos.
(lambit et hymniferos inhiat divellere vultus)
58: tandem Phoebus adest morsusque inferre parantem
— 59: arcet et in lapidem rictus serpentis apertos
60: congelat et patulos, ut erant, indurat hiatus.'

Ad versum 59 Riesius adnotat, se eum delendum putare, quae suspicio mihi vera videtur. Versus, qui uncis inclusus est, non in omnibus codicibus traditus et iam ab Heinsio eiectus est. Etiam versus 59 dessriptionem vivacem moleste moratur neque satis defenditur larga Ovidii in descriptionibus dicendi luxurie. Quae quidem in eo sita est, quod res nimio interdum varietatis amplifiandique studio enarrat, ita ut nos non raro imaginum, quas nimis accurate depingit, paullulum taedeat, non vero in eo, quod eandem rem eodem modo repetitisque eisdem notionibus variatis verbis tautum describat. Quae cum ita se habeant, versus, quibus idem dictum est, quod eis, qui proxime praecedunt, non pauci ab editoribus eiecti aut spurii declarati sunt. Ut exemplum afferam, iam ab Heinsio uncis inclusus est versus VIII, 284; Merkelius versum, qui sequitur 286: e carmine eiecit. Legitur ibi:

282: — ‚misit aprum, quanto maiores herbida tauros
383: ‚non habet Epirus, sed habent Sicula arva minores.
384: ‚sanguine et igni micant oculi, riget horrida cervix,
385: ‚et setae similes rigidis hastilibus horrent,
386: ‚stantque velut vallum, velut alta hastilia setae.'

Qua causa igitur alter versuum 285 et 296 eiectus et, eadem, ut puto, versus XI, 59 expungendus est; nam verba nihil addunt rei accuratius describendae; immo aliena videntur a reliquae orationis munditia. Etiam alibi Rud. Merkelii sen-

tentia spurium habemus in draconis descriptione versum vel duos versus spurios, dico Met. VII, 149—152:

149: ‚— pervigilem superest sopire draconem,'
150: ‚qui crista linguisque tribus praesignis et uncis
151: ‚dentibus horrendus, custos erat arboris aureae.'
152: ‚hunc postquam sparsit Lethaei gramine suci...'

Eadem causa, qua Riesius commotus est, ut versum XI, 59. spurium haberet, Merkelius multos nuper versus uncis inclusit propter duram scilicet repetitionem, velut III, 400, 401, 415, 417; VII, 543; IX, 777; X, 282, 288; XI, 714; XII, 83, 84 all. Ceterum facere non possum, quin confitear, mihi mirum videri, quanta in universum multitudo versuum nuper a Merkelio proscripta sit. In solis Metamorphoseon libris enim delevit versus triginta tres, obelis instruxit sedecim, uncis inclusit ducentos quadraginta septem versus totos, partes versuum sedecim. Haud ignoro, interpolationes in hoc carmine latissime propagatas esse, sed ex altera parte nec video nec a Merkelio doceor viam et rationem, quam secutus tantam ut ita dicam carminis partem spuriam declaraverit. Equidem enim satis multos versus novi, quos eodem iure putem spurios iudicari posse, quo eos, quos Merkelius proscripsit; ex eis vero, quos uncis inclusit, non paucos defendi posse censeo.

Met. XI, 510—511.

‚Utque solent sumptis incursu viribus ire
pectore in arma feri protentaque tela leones.'

M. et duo alii ‚protentaque', reliqui ‚praetentaque.' Uno illo loco, quo, quantum vidi, verbum protendendi in Ovidii carminibus invenitur, aliam habet notionem, quam quae hoc loco apta est. Dico Met. XIV, 191, ubi poeta de Cyclope gentem Achivam execrante dicit: ‚rupibus incursat foedataque brachia tabo in mare protendens gentem execratur Achivam.' Ibi ‚protendens' ab omnibus fere codicibus exhibetur, M. ‚pretendens' videtur habere, sed litterae non clare expressae sunt. Atque ibi quidem ‚protendens' verum videtur, quia Cyclops protentis brachiis desiderium suum indicat, ut, quos execratur, manibus possit contingere poenasque de eis sumere: in qua

rerum condicione verbum protendendi suo loco est. E contrario ad notionem verbi praetendendi semper accedit significatio defendendi, id quod vides Met. III, 83: ,instantiaque ora retardat cuspide praetenta. XII, 376: defensatque humeros praetentaque sustinet arma'. VIII, 341: exclamant iuvenes praetentaque forti tela tenent dextra', quae exempla iam Heinsium non addita explicatione laudare video. Merkelius nuper versus 510—513 uncis inclusit ratione de causis non reddita.

Met. XII, 184—186.

,Plura tamen memini: nec quae magis haereat illa
pectore res nostro est inter bellique domique
acta tot'.

M. ς. ,ulla', duo ,illa'. ,Illa', quod recepit Heinsius, neque ex sententia neque ex praeceptis grammaticis praeferendum est. ,Ulla' quod reiecit, poetae in tali verborum structura consuetum est. cf. XV, 208 sq.:

,Fitque valens iuvenis, neque enim robustior aetas
ulla nec uberior nec quae magis ardeat ulla est.'

cf. V, 381 sqq.: ,de mille sagittis
unam seposuit, sed qua nec acutior ulla
nec minus incerta est, nec quae magis audiat arcum.'

Heinsius, si desiderabat ablativum comparationis ob camque causam scripsit ,illâ', potius ,quae' in quâ, quam ,ulla' in ,illâ' mutare debebat, id quod vides ex loco laudato V, 381 sqq. At postulatur eiusmodi ablativus nec Ovidii dicendi genere, id quod elucet ex loco altero quem laudavimus XV, 208, nec sententia.

Met. XII,510—511.

,Dixit. et insani deiectam viribus austri
forte trabem nactus validum coniecit in hostem.'

M. ,insanis', ς. partim ,insanis', partim ,insani'. Quam causam mutandae scripturae M habuerit Heinsius, non intellego. Videtur reducenda esse referendaque vox, ,insanis' ad ,viribus' cf. XV, 299: ,vis fera ventorum caecis inclusa cavernis'.

Met. XIII, 370—372.

,At vos o proceres, vigili date praemia vestro,
proque tot annorum cura, quibus anxius egi,
hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.'

M. ,cura quibus', ς. partim ,cura quibus', partim ,curis quos', partim ,curis quas'. ,Agere' nec apud Ovidium nec apud alios poetas significat idem quod ,degere', vernacule ,Zeit verbringen'. Ovidius cum hoc verbo obiectum iungere solet, nisi quod gerundium absolute adhibet. velut Met. 198 et 199; XIII, 120; Fast. I, 169; et cum obiecto velut Met. VI, 611, ubi cum ML. scribendum putabam ,hoc agendum est' pro ,hîc agendum est', quod nunc Merkelium scribere vidi. Saepe autem dicit poeta ,annos agere' velut Met. VIII, 708; IV, 48. Trist. V, 5, 26. Sed scriptura ,curis quas' cum pluribus et melioribus codicibus exhibeatur meliusque ad sententiam quadret, praeferenda est. Poeta enim enumeratis Ulixis de re Graecorum meritis, haec merita aptissime curas denominat et curarum nomine effert. Etenim ea merita propria sua natura consilia potissimum erant cauta atque provida, quae diu callidus ille vir animo volverat. Similis locutionis exempla habes Met. IX, 107: ,curam pro coniuge agentem'. Trist. V, 7. 38: ,curam futuri nominis ago'. Videas etiam Met. XII, 539: ,oblivia tibi acta esse Herculeae laudis.' I, 349: ,et desolatas agere alta silentia terras' Burmannus quoque scripsit ,curas quibus', laudatis, quae attuli, exemplis Met. IX, 107; Trist. V, 7. 38 pluribusque ex aliis scriptoribus petitis. Verisimile videtur, hoc loco, ut non paucis novissimorum Metamorphoseon librorum scripturam librorum ς. plurimorum lectioni M. praeferendam esse.

Met. XIII, 391—392.

,Dixit et in pectus tum demum vulnera passum
qua patuit ferrum, letalem condidit ensem.'

M. paucique ,qua patuit ferrum', plurimi ,qua patuit ferro' Sermo et de Aiace, qui post ignominiosam illam repulsam latam in gladium se praecipitavit. Letalem igitur, ut poeta

dicit, condidit ensem, ,qua patuit ferrum.‘ Ita quidem ex libris M. ς. editum est. Sed ferro semper arma significantur apud Ovidium quae ad impugnandum et laedendum apta sunt, non ad arcendum et defendendum, ut thorax. Burmannus scribit ,qua patuit ferro‘ adiciens explicationem ,id est, qua parte vulnus accipere poterat, reliquum enim corpus a vulneribus immune habebat.‘ Riesius coniecit ,qua patitur ferrum‘. Ex Riesii coniectura non intellegitur, utrum ferro gladium an thoracem significari censeat. Si gladium significari censet, melius mea sententia scripturam librorum nonnullorum ,qua patuit ferro‘ reponit, quam verbum ,patuit‘ omnium librorum mutat in ,patitur‘, quod duri aliquid habet. Hauptius scripturam ,qua patuit ferrum‘ interpretatus est ,soweit das Schwert reichte, das ganze Schwert‘. Sane verbum patendi locis quibusdam verti potest nostro verbo ,reichen‘ velut I, 241: ,qua terra patet, fera regnat Erinys‘; XV, 877: ,quaque patet domitis Romana potentia terris‘: sed in tali structura hoc verbo significatur non modo extensio in longitudinem, ut ita dicam, verum etiam in latitudinem locisque laudatis igitur verbum patendi accuratissime vertitur ,sich ausbreiten‘. De gladio igitur nequaquam dicere potuit Ovidius ,qua patuit ferrum‘. Itaque iam revertamur ae lectionem ς. ,qua patuit ferro‘, quae significat: ,qua ferrum penetrare potuit per thoracis compages‘ vel, ut Burmannus explicat, ,qua parte pectus vulneris patiens erat‘. De exemplorum similium copia satis erit afferre unum, quod memini V, 654: ,patet mihi pervius aether‘.

Met. XIV, 172—173.

,Quod loquor et spiro caelumque et sidera solis
respicio, possimne ingratus et immemor esse?‘

M. nonnullique alii ,sidera solis‘, reliqui ,lumina solis‘. Discrepantiam scripturae inde natam esse existimo, quod quis verbis ,lumina solis‘ credidit significari sidera, ob eamque rem vocem ,sidera‘ adscripsit verbis ,lumina solis‘. Ita quidem vox ,sidera‘ expellere potuit vocem ,lumina‘ et nasci potuit scriptura ,sidera solis‘, quae nihili est. Sane in Ovidii carminibus

bis terve voce ,sidus‘ sol significatur, velut I, 424: ,aetherioque recens exarsit sidere limus‘; IX, 286: ,decimum premeretur sidere signum‘, sed semper non addito genetivo ,solis‘ neque plurali numero, quo ,sidera‘ semper stellas significant. E contrario ,lumina solis‘ locis satis multis reperitur velut I, 135: ,ceu lumina solis et auras‘, I, 767: ,brachia porrexit spectansque ad lumina solis‘, XIV, 423 sq.: ,totidem redeuntia solis lumina viderunt.‘

Met. XIV, 202—204.

,Mors erat ante oculos, minimum tamen illa malorum.
et iam prensurum iam nunc mea viscera rebar
in sua mersurum.‘

M. iamñc‘, omnes fere ς.: ,iamiam‘. Iamiam, quod iam Heinsio placuit praeferendum esse, ex significatione usuque utriusque particulae elucet. Iamiam enim idem significat, quod iam, sed gravius dicitur; iamnunc vero de eis rebus usurpatur, quae serius expectantur. cf. Her. X, 83: ,iamiam venturos aut hac aut suspicor illac, qui lanient avido viscera dente, lupos.‘ Met. I, 535: ,— iamiamque tenere sperat‘, quod ibi de cane leporem persequente dictum est. Trist. I, 2. 19: ,me miserum, quanti montes volvuntur aquarum, iamiam tacturos sidera summa putes‘. Elucet ,iamiam‘ gravius dici, quam simplex ,iam‘. De ,iam nunc‘ conferas Met. XIII, 19 et 20, ubi Aias de Ulixe: ,iste tulit pretium iam nunc certaminis huius, quo, cum victus erit, mecum certasse feretur.‘ Her. XVI, 146 sqq.: ,difficilem culpae suspicor esse viam .. iam nunc contundor et omnes in nostris oculos vultibus esse reor‘. — In versu huius libri 823 similem corruptelam esse censeo. M. praebet ,iam‘, ς. partim ,iam‘ partim ,tunc‘. Riesius edidit ,tum‘; Merkelius ,iam‘ atque recte quidem. Particula ,iam‘ enim hoc loco idem valet atque I, 335 sq.: ,inspirare iubet fluctusque et flumina signo iam revocare dato. Cf. XV, 871: ,iam opus exegi‘. Vernacule haec vocis ,iam‘ notio exprimitur particula ,nunmehr‘. Vis est, ut indicet, iam perfectas esse res quasdam, de quibus antea dictum erat. Atque hoc loco XIV, 823 Romulus compositis bellis firmataque Romana potentia, secura pace fruens iam suo Quiriti iura regia dabat.

Met. XIV, 261—262.

,Pulchro sedet illa recessu,
sollemni solio pallamque induta nitentem.'

M. ,sollemni', plerique ς. Burmannus: ,sublimis', pauci ,sublimi'. Vox ,sollemnis' ab Ovidio de sacris deorumque festis tantum usurpatur atque apud haec quidem vocabula ,fax, ignis, cantus, verba, ara, Circus, festum, caedes, ludi, vox, donum, tus, theatra'. De huius loci natura vero, quo describitur Circe, quae pulchro sedet recessu, sublimis solio, conferas VI, 650: ,ipse sedens solio Tereus sublimis avito,' XI, 610: ,at medio torus est ebeno sublimis in atra', XV, 673: ,— media sublimis in aede constitit'. ,Sublimi solio', quod scripsit Merkelius, minus verum videtur, nam omisso, quod quattuor ablativi cumulantur ,pulchro recessu sublimi solio', facilius ,sublimis' in ,sublimi' corrumpi potuit quam hoc in illud; tum poeta vocem ,sublimis' similes solet ad personam referre, id quod ex locis quoque laudatis elucet.

Met. XV, 396—397.

,Ilicis in ramis tremulaeque cacumine palmae
unguibus et puro nidum sibi construit ore.'

Vulgo ,duro', multi ,puro', tres ,pando'. ,Puro ore' apte explicari nequit. ,Pando ore' ad sententiam non quadrat; non enim bene Phoenici avi ,pandum os' tribuitur, quod aptissime apro X, 713: ,protinus excussit pando venabula rostro', ubi pandum rostrum significat nostrum ,weitgeöffneten' sive ,gähnenden Rachen'. Phönix loco, de quo agitur, tamquam artifex cogitatur, qui rostro pro duro ferramento utitur, quo inter alias materias construendo nido aptas cinnamum frangit et conterit. cf. v. 399. Legendum est igitur ,duro ore' atque in eis codicibus, qui exhibent ,puro', de lenissimo mendo cogitandum est, quo litterae p et d commutatae sunt. Cuivis patet, elegantiae esse poeticae minimeque ineptum, rostrum Phoenicis avis in tali rerum condicione ,durum os' vocare. Contra ea avium rostrum in qualibet alia rerum condicione aptius ,purum' vocari potest, quam illo tempore, quo materiis variis undique collatis nidum conglutinant.

Fast. I, 83—84.

,Colla rudes operum praebent ferienda iuvenci,
quos aluit campis herba Falisca suis'.'

R. ς. sive A. D. ς. Merkelii et Peteri signis ,securi'. V. et reliqui ,iuvenci'; tres ,tauri'. Peter in programmate quod in prooemio laudavimus, pg. 10 adnotat ad vocem ,securi': „quae vox facile desideratur, cum ,iuvenci' vix deesse possit." Conferas ex Ponto IV, 4. 31: ,colla boves niveos certae praebere securi' Codicis R. scriptura mihi servanda videtur. Substantivum enim velut ,boves' vel ,iuvenci' non desideratur; immo poetae, quamvis non sit ieiunus nec in verbis parcus, proprium videtur, pro nomine hostiae dicere, qualis sit. Minus meo arbitrio placeret, legere etiam nomen hostiae. Ad haec per se patuit, quales essent hostiae Iovi offerendae, notumque fuit, agros Faliscos abundare pecore bubulo. cf. Plin. h. n. II, 230: ,in Falisco omnis aqua pota candidos boves facit'. Ex altera parte negari non potest, etiam vocem ,securi' sententiae necessariam non esse. Sed defenditur cum maiore codicum auctoritate, tum eo, quod ,iuvenci' multo facilius voci ,securi' adscribi potuit, ut substantivum compararetur, ad quod referretur sententia versus 84, quam ,securi', quod vix quisquam adscripsit nisi forte ex versu illo Ex Ponto IV, 4 31.

Fast. I, 147—148.

,Sumpsi animum gratesque deo non territus egi,
verbaque sum spectans pauca locutus humum.'

Libri habent ,pauca' quod Riesius corruptum esse adnotat, suspicatus ,larga' seu ,tarda'. Clare patet scripturam librorum repugnare cum rerum in universum condicioni tum versui 161 ,quaesieram multis' et reliqua. Respiciens igitur ad versum 145 sq.: ,dixerat et voltu, si plura requirere vellem, difficilem mihi se non fore, pactus erat'; scribendum propono ,plura', quod leni duarum litterarum mutatione in ,pauca' corrumpi potuit. Peter adnotat ad hunc versum: „,Pauca' ist so formelhaft geworden, dass von derselben Rede O. v. 161 sagen konnte: ,quaesieram multis.'" Si qua omnino fuit formula, haec post sententiam versus 147: ,sumpsi animum gratesque deo non territus egi' non suo loco videtur esse. Nam sumit poeta animum colli-

gitque mentem, ut plura quaerere audeat ex deo, rarissima scilicet occasione oblata; plura inquam, quae ei et ignota erant dubiaque et cognitione maxime digna. Qua in rerum condicione, cum deus difficilem se non fore pollicitus esset, si plura requirere vellet, verbum ‚pauca‘ satis mirum esset.

Fast. I, 307—308.

‚Sic petitur caelum; non ut ferat Ossam Olympus,
imaque Peliacus sidera tangat apex.‘

R. ‚imaque‘, reliqui ‚summaque‘, Merkelius coniecit ‚ipsaque‘; mihi ‚summaque‘ restituendum videtur. In R. fortasse tres primae versus litterae erasae erant de tertia littera ‚m‘ vero ultima lineola mansisse videtur; ita ut restet „. . . imaque‘. Videas poetae dicendi consuetudinem. De Gigantis sermo est etiam in Fast. V, 39, ubi legitur: ‚extruere hi montes ad sidera summa parabant‘. Cf. Fast. III, 34: contigeratque sua sidera summa coma‘. Trist. I, 2. 20: ‚iamiam tacturos sidera summa putes‘.

Ceterum Peter quoque scripsit ‚summa‘ adnotatque: „‚summaque Peliacus‘ nach der Mehrzahl der Handschriften; ‚ipsaque Pel.‘ Merkel, wie es scheint nach eigener von der Lesart des Petavianus ‚imaque Pel.‘ ausgehender Coniectur.“

Fast. I, 351—352.

‚Nam sata vere novo teneris lactentia sucis
eruta saetigerae comperit ore suis.‘

R. ς. sive A. D. T. V. ς. (quid habeat U, non constat) Merkelii et Peteri signis: ‚sulcis,; alii ς. (B. L. ς. Peter): ‚sucis‘; R. ‚latencia‘. (cf Merkel, fasti. Reimer 1841, Riese, fasti Tauchnitz 1874; Peter, Progr. Meissen 1877 pg. 16. Riese in Bursian. annal. 1877 II, 3. pg. 24. 25.) Scribendum existimo ad fidem codicis R: ‚nam sata vere novo teneris latentia sulcis eruta saetigerae comperit ore suis.‘ Teneri sulci nostrum ‚lockere Furchen‘ dici potest ut Am. II, 16. 6: ‚viret in tenero fertilis herba solo‘. Epitheton ‚tener‘ referendum est ad mollem solutamque in recentibus sulcis terrae naturam. Ovidius loco allato patriae suae Sulmonis solum laudans tenerum eum appellat vel ibidem versu 8 ‚rarum agrum‘, quod idem est.

Addi potest, quod restituta scriptura R. apta oppositio verborum ‚latentia‘ et ‚eruta‘ efficitur. Porro verba latendi et sulci in hac re desribenda poetae placebant. Cf. Trist. III, 12. 11 sq.: ‚herbaque quae latuit Cerealibus obruta sulcis, excitat e tepida molle cacumen humo‘. Cf Fast. III, 239 sq.: ‚quaeque diu latuit nunc se, qua tollat in auras fertilis occultas invenit herba vias‘. Accedit insuper, quod Ovidius verbo lactendi non utitur ea significatione, qua opus est loco, de quo agitur. Videas Met. XV, 199 sqq:

‚quid, non in species succedere quattuor annum
adspicis, aetatis peragentem imitamina nostrae?
nam tener et lactens puerique simillimus aevo
vere novo est‘ et quae sequuntur.

Habes hic quidem significationem verbi lactendi non valde dissimilem loci, de quo agimus Sed non de segete similibus sermo est, sed de anno, neque praetermittendum videtur, haec verba in comparatione cum hominis aetatibus usurpata esse. Metaphorice igitur usurpatum est verbum lactendi, non proprie velut de sucis istis. Alibi Ovidius de herba, segete similibus nunquam usus est verbo lactendi, quod semper servat notionem de ipsa lacte natam. Dicit igitur lactentes agnas, catulos, foetus cervae, vitulos, porcam, lactentia ubera. Quod Peter in sua Fastorum editione pg. 50 laudat Verg. Georg. I, 3. 15: ‚frumenta lactentia‘: de frugibus frumenti, non de tenero segete ibi sermo est. Frumenta lactentia igitur illo loco vertenda sunt ‚milchige Getreidekörner‘. Lactentia viscera idem est Fast. VI, 137, quod lactentium viscera; ibi unus codex mendose tradidit ‚latentia‘.

Fast. II, 857—858.

‚Iamque duae restant noctes de mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus urget equos.‘

R. ‚cito‘ ς. ‚citis‘ vel ‚citus‘ vel ‚cito‘. Eidem codices, qui habent ‚citis‘, praebent ‚iunctos‘, reliqui ‚iunctis‘. Riesius adnotat „puto ‚citis iunctos‘“, cui assentior. Neque enim verborum iunctura ‚iunctis curribus‘ vel omnino ‚iungere currus‘ Ovidii est, neque Peteri interpretatio verbi ‚iunctis‘ „bespannt“

offensionem videtur tollere. Ovidius semper dicit ,equos iungere', nunquam ,currus iungere'. Cf. Fast. IV, 497, 180. Met. II, 118. Art. III, 180, 634. Currus alibi nominantur ,profugi' vel ,volucres', axes et rotae ,citae'. Cf. Met. II, 75. XV, 506. Trist. III, 8. 15. Ibid. 190.

Fast III, 294.

,Atque ita, qua possint, erudit, arte capi'.

R. V. ,edidit' ς. ,edidit' vel ,tradidit'; alii ,erudit'. Merkelius in editione anni huius saeculi quadragesimi primi scripsit ,edidit', nunc scribit ,erudit'. ,Edidit' ferri posse eo evincitur, quod verbum edendi cum tali significatione ac structura etiam alibi in Ovidii carminibus invenitur. Cf. Met. III, 635: ,ede, quos contingere portus velis', XIII, 756 sq.: ,nec si quaesieris, odium Cyclopis amorne Acidis in nobis fuerit praestantior, edam'.

Fast. IV, 435 — 436.

,Haec implet lento calathos e vimine nexos,
Haec gremium, laxos degravat illa sinus.,

Vulgo ,nexos', fragmentum Ilfeldense antiquissimum fideque eximium cum multis aliis ,textos'. R. hoc loco corruptus est, habet pro ,e vimine' ,cuimmine'. Calathi e vimine texuntur, non nectuntur. Sane similis est, sed non prorsus idem usus verborum nectendi et texendi. Cf. Am. I, 14. 8: ,cum (aranea) leve deserta sub trabe nectit opus'. Verto: ,wenn sie ihr leichtes Werk unter dem verlassenen Gebälke anknüpft'. Cf. Fast. I, 157 sq.: ,ignotaque prodit hirundo et luteum celsa sub trabe figit opus'. Cf. Art. II, 45 sq.: ,remigium volucrum disponit in ordine pinnas, et leve per lini vincula nectit opus'. Cf. Fast. V, 219: ,— accedunt Charites nectuntque coronas'. Non invenies in Ovidii scriptis locum, quo similior sit notio nectendi notioni texendi. De qua conferas Fast. VI, 262: ,textus vimine lento paries', Met. II, 554: ,texta de vimine cista'. His utriusque generis locis laudatis verisimile est, legendum esse Fast. IV, 435 ,textos'. Texendi verbum etiam Am. II, 9. 18 corruptum est, ubi legitur vulgo: ,Roma nisi immensum vires movisset in orbem, stramineis esset nunc quoque tecta casis'. Sane Ovidius dicit ,tectam stramine casam', ,tectam stipulis et canna domum'. At ,Roma tecta stramineis casis' nec Ovidianum est nec latinum. E contrario verbo texendi quod Riesius restituendum esse recte putavit in adnotatione critica, optime depingitur admodum simplex atque vilis aedificandi modus.

Fast. IV, 815 — 816.

,Res placet. alter adit nemorosi saxa Palati:
alter Aventinum mane cacumen init.'

R. V. ,init' ς. partim ,init' partim ,adit'. Poeta dicit: ,alter (intellege Romulus) init nemorosi saxa Palati', quod idem valet atque ,nemus init in rupibus Palati situm'. Repetitio ,init' ,init' a poeta dicendi genere non aliena est. Poteris vel ex his, quae mihi ex maxima repetitionum copia forte occurrerunt, locis videre, repetitionem loci de quo agimus non intolerabilem esse. Met. XIV, 800 sq.: ,et strata est tellus Romana Sabinis corporibus strata estque suis'. Trist. I, 3. 99 sq.: ,et voluisse mori, moriendo ponere sensus, respectuque tamen non voluisse mei'. Duo intra paucorum versuum ambitum repetitionum exempla habes Met. XII, 148 sq. 162 sq.

Fast. V, 11 — 12.

,Post chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo,
inque novas species omne recessit opus.'

Legitur vulgo ,opus', in multis libris ,onus', quod verum videtur. Chaos significatur, quod in novas species recessit. Hoc nihil habet operis, merum onus est. Cf. Met. I, 7: sqq.: ,quem dixere chaos, rudis indigestaque moles, nec quicquam nisi pondus iners' et quae sequuntur. Cf. Met. XV, 240 sqq.: ;quattuor aeternus genitalia corpora mundus continet, ex illis duo sunt onerosa suoque pondere in inferius, tellus atque unda feruntur.' Vox ,onus' saepius in ,opus' corrupta est, quod in multis atque bonis libris factum vides Ex Pont. I, 4. 46.

Trist. I, 9. 5—6.

,Donec eris felix, multos numerabis amicos,
tempora si fuerint nubila, solus eris.'

L. ,sospes', ς. ,felix'. Riesius ,sospes an recte?' Cf. Trist. IV, 9. 13: ,et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo', Ex Pont. II, 8. 12 sq.: ,quin tandem redii, nec me temet ultima tellus, utque prius media sospes in Urbe moror'; Met. X, 401: ,certe fortuna domusque sospes et in cursu est'. ,Sospes' bene opponitur verbis ,tempora nubila' ,Felix' autem facilius ex interpretamento in verba poetae recipi potuit, quam ,sospes', quod restiduendum est.

Trist. II, 63.

,Inspice maius opus, quod, adhuc sine fine reliqui.'

L. ,tenetur', ς. partim ,tenetur', partim ,reliqui'. Ovidius adlocutus Augustum, de Metamorphoseon carmine dicit: ,inspice maius opus, quod adhuc sine fine tenetur, in non credendos corpora versa modos: invenies vestri praeconia nominis illic'. Si poeta dixisset: ,quod adhuc sine fine reliqui', non tam perspicue indicasset, se abstractum exilio detentum esse, quominus laeta studia, qualia in illud carmen contulit, etiamtum animo volveret, opusque illud celebre illis iam temporibus perficeret laudesque Augusti canere pergeret, quae in fine praesertim Metamorphoseon inveniuntur. (Cf. Trist. I, 7. 14). Atque locutionem quidem ,quod adhuc sine fine tenetur' non abhorrere a poetae dicendi genere, efficitur ex Met. IX, 300 sq.: ,sustinuit partus tacita quoque carmina voce dixit et inceptos tenuerunt carmina partus.' ,Reliqui' interpolationis satis simile videtur.

Trist. IV, I. 41—42.

,Utque suum Bacche non sentit saucia vulnus,
dum stupet Idaeis exululata iugis.'

L. ς. ,modis', Pal. ς. ,iugis'. Quamquam, quod ille Palatinus et nonnulli alii libri exhibent, sententiam suppeditat non ineptam, quia Bacchae per montes silvasque discurrentes orgia

celebrabant, tamen non video, cur improbemus scripturam L. ,modis', quae aptissima est. Cf. Art. I, 508: ,— Cybeleia mater concinitur Phrygiis exululata modis'. Accedit, quod aptius dicitur: ,Bacche non sentit vulnus, dum stupet Idaeis exululata modis, quam ,— iugis', quoniam Idaei modi ipsi causa sunt, cur non sentiat vulnus.

Trist. IV, I. 85—86.

,Hic ego sollicitae iaceo novus incola sedis:
Heu nimium fati tempora lenta mei!'

,Longa' L. ς; ,lenta' pauci. ,Heu minium fati tempora longa mei!' poeta exclamat. Ei, qui receperunt ,lenta' ex ς., fato mortem intellexerunt, quam nimis tarde venire poetam queri censent. Sed fortasse contendere licet, poetam non de morte, sed de miseria sua, de sui exilii longo tempore cogitasse. Ovidius descripta hominum apud quos degebat, ferocitate, non de mortis cupiditate loquitur: immo versibus, qui sequuntur 87 sq. spem sustinet revertendi in patriam, quam nunquam prorsus abiecit. Poetam vero alibi quoque voce ,fatum' ad significandam miseram suam sortem usum esse, vides. Ex Pont. II, 4. 30: ,non ita pars fati caudida nulla mei.' Trist. IV, 4. 40 ,ah, sine me fati non meminisse mei!' Sed hi duo versus fortasse ad id tempus referendi sunt, quo multabatur exilio. Verum videas Ex Pont. I, 2. 25 sq.: ,hic me pugnantem cum frigore cumque sagittis cumque meo fato quarta fatigat hiems.' Loco igitur, de quo agimus, alienum videri nequit, poetam de longis temporibus fati sui loqui, sicut non alienum est quod dicit Met. IV, 695 sq.: ,— lacrimarum longa manere tempora vos poterunt: ad opem brevis hora ferendam est.'

Trist. V, 2. 18—20.

,Vulnera qui fecit, facta levare velit,
contentusque mei iam tandem parte doloris,
exiguum pleno de mare demat aquae.'

L. ,labens', ς. partim ,laboris', partim ,doloris'. ,Laboris' genuinum videtur, corruptum scilicet in L. in ,labens'. Quaeritur, num poeta exilii aerumnas lobores nominare possit, quod negari

non potest, cum in describenda re simili dicat Met. IV, 531: ‚at Venus immeritae neptis miserata labores' et v. 570: ‚dum prima retractant fata domus releguntque suos sermone labores'. Altero loco, quem laudavimus, poeta narrat, Ionem iactari in Ionio mari, altero, Cadmum longis erroribus actum esse. Inde apparere videtur, Trist. V, 2. 19 vocem ‚laboris' suo loco esse. Ea autem de causa fortasse mutata est in ‚doloris', quia versu, qui antecedit, de vulneribus sermo est.

Trist. V, 5. 53.

‚Victor Echionias si vir penetrasset in arces.'

L. et aliquod ς. ‚ad arces', ceteri ‚in arces'. Ovidius ‚penetrare in' eadem significatione adhibet, qua ‚penetrare ad'. ‚Penetrare in arces', quod vulgo editur, ab eis videtur scriptum esse, qui sententiam ‚in interiores arcis partes' verbo penetrandi cum praepositione ‚ad' coniuncto significari posse non existimaverunt. Sed videant Met. XIV, 793: ‚penetrare ad ima fontis', VII, 601: penetrare ad viscera'. Rescribendum igitur est ‚ad arces'. —

Trist. V, 10. 12—13.

‚Suntque magis vitae tempora dura meae?
quem tenet Euxini mendax cognomine litus.'

L. ‚pontus', ς.: ‚pontus' sive ‚Pontus', alii ‚portus', alii ‚litus'. ‚Pontus' videtur scribendum esse. Cf. Trist. III, 13. 27: ‚dum me terrarum pars paene novissima, Pontus, Euxini falso nomine dictus, habet'.

Ex Pont. I, 4. 41—42.

‚Illum furtivae iuvere Cupidinis artes,
quas a me vellem non didicisset Amor.'

A. B. (Kornii signis) ‚amor', B. manus secunda ‚amans', quod etiam C. D. E. F. G. L. N. P. ε. habent. ‚Amor' stare nequit. Minime profecto poeticum sed absurdum esset, si dixisset Ovidius, se velle, ne didicisset Amor a se Cupidinis artes.

Ceterum satis notum est, amantibus ub Ovidio in Arte sua praecepta data esse, qua de re, ut dicebat, exilio erat damnatus. ‚Amans' igitur scribendum videtur. De participio substantivo ‚amans' videas Art. I, 729: ‚palleat omnis amans: hic est color apus amanti'. Cf. Met. XI, 787: ‚indignatur amans, invitum vivere cogi'. Cf. Am. I, 9. 1: ‚militat omnis amans et habet sua castra Cupido, Attice, crede mihi: militat omnis' amans', Cf. Am. I, 8. 78: ‚audiat exclusi verba receptus amans.' Participium ‚amans' igitur ab Ovidio aeque atque apud nos ‚Liebender' prorsus tamquam substantivum adhibetur.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM DISSERTATIONE,

QUAM INSCRIPSIT

‚QUAESTIONES OVIDIANAE CRITICAE'

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MONASTERIENSIUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV MENSIS MAII A. MDCCCLXXIX

IN PUBLICO DEFENDET

ALOYSIUS ALGERMISSEN

HANNOVERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

THEODORUS BUESCH, SEM PHILOL. SOD. ORD.
TELESPHORUS NEGOWSKI, CAND PHIL.
CAROLUS TROOST, CAND. PHIL.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXXIX.

THESES.

I. Kantium sibi ipsi contradicere, cum doceat, categoriam existentiae non valere in ‚rebus per se', et idem, ‚res per se' vere esse.

II. Tac. histor. II, 76. legendum esse: ‚abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri non concupisse: confugiendum est ad imperium'.

III. Tac. histor. II, 23. verba: ‚nam eos quoque Otho praefecerat' iusto iure addita esse, quia sint referenda non ad Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marinm Celsum, sed ad solos Suetonium Paulinum et Marium Celsum.

IV. Aristoph. equit. versum 142 legendum esse: *Οἰκέτης Α:* ‚*εἶπ', ἀντιβολῶ, τίς ἐστιν, εἶπε, νὴ Δία*'.

V. Sophocl. Phil. cum Seyfferto legendum esse versibus 533. 534: ‚*προσκύσοντ' ἐμὴν ἔσω ἄοικον εἰς οἴκησιν.*'

VI. Sophocl. Phil. 1092. 1093. legendum propono: *ἄθηρ' ὡς ἄνω, πτωκάδες ὀξυτόνου διὰ πνεύματος ἑλῶσιν· οὐ γὰρ ἔτ' ἴσχω.*

VITA.

Natus sum Aloysius Algermissen XXII. die mensis Fe-[b]ruarii a. h. s. LIII Hildesimae patre Augusto, quem praematura [m]orte mihi abreptum valde lugeo, matre Guilelmina e gente Brunken, quam adhuc superstitem pia veneror mente. Fidem profiteor catholicam. — Litterarum primis elementis imbutus gymnasium patriae urbis Iosephinum per octo annos frequentavi, quod tum sub auspiciis V. D. Cl. I. G. Muelleri florebat ibique optimorum praeceptorum eruditione studiorum amore affectus sum. Maturitatis testimonio, quod vocatur, munitus auctumno a. h. s. LXXV. Almam Litterarum Academiam Regiam Monasteriensem petii, studiis philologicis operam navaturus. Per ter sex menses ut interessem Seminarii Regii philologici exercitationibus, per bis sex sodalis ordinarius, mihi contigit. Disserentes audivi VV. DD. Cl. Cl. Hagemann, Karsch, Langen, Niehues, Nitschke, Spicker, Stahl, Storck.

Hisce viris omnibus, imprimis VV. DD. Cl. Cl. Petro Langen et Io. Math. Stahl, Seminarii Regii philologici directoribus, gratias habeo maximas.

